Marian Studies

Volume 37 *Proceedings of the Thirty-Seventh National Convention of the Mariological Society of America held in Tampa, FLA.*

Article 18

1986

# Full Latin Texts from Footnotes, Chapter VIII (Lumen Gentium)

Mariological Society of America

Follow this and additional works at: https://ecommons.udayton.edu/marian_studies

Part of the Religion Commons

Recommended Citation

Mariological Society of America (1986) "Full Latin Texts from Footnotes, Chapter VIII (Lumen Gentium)," *Marian Studies*: Vol. 37, Article 18.
Available at: https://ecommons.udayton.edu/marian_studies/vol37/iss1/18

This Article is brought to you for free and open access by the Marian Library Publications at eCommons. It has been accepted for inclusion in Marian Studies by an authorized editor of eCommons. For more information, please contact mschlangen1@udayton.edu, ecommons@udayton.edu.

# Appendix III

## FULL LATIN TEXTS FROM FOOTNOTES, CHAPTER VIII *(Lumen Gentium)**

(4) Cf. PAULUS PP. VI, *Allocutio in Concilio,* die 4 dec. 1963: AAS 56 (1964) p. 37: Speramus denique eandem Synodum quaestionem de schemate circa Beatam Mariam Virginem, optimam, quae possit, habituram esse enodationem: ita scilicet ut uno consensu et summa pietate agnoscatur locus longe praestantissimus, qui Matris Dei est proprius in Sancta Ecclesia, de qua praecipuus est sermo in hoc Concilio; locum dicimus, post Christum, altissimum nobisque maxime propinquum, ita ut nomine « Matris Ecclesiae » eam possimus ornare; idque in eius honorem cedat in nostrumque solacium.

(9) S. HIERONYMUS, *Epist.* 22, 21: PL 22, 408: Postquam vero virgo concepit in utero, et peperit nobis puerum, "cujus principatus in humeros ejus" (Isai. 9.6), Deum, fortem, patrem futuri saeculi, soluta maledictio est. Mors per Evam: vita per Mariam. Ideoque et ditius virginitatis donum fluxit in feminas, quia coepit a femina.

Cf. S. AUGUSTINUS, *Serm.* 51, 2, 3: PL 38, 335: Uterque sexus videat honorem suum, et uterque confiteatur iniquitatem suam, et uterque speret salutem. Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam: reparando homini propinetur salus per feminam. Compenset femina decepti per se hominis peccatum, generando Christum.

*Serm.* 232, 2: col. 1108: Quia per sexum femineum cecidit homo, per sexum femineum reparatus est homo, quia virgo

*The complete set of notes accompanies the text of Chapter VIII which precedes this presentation of the Latin texts cited therein. Ordinarily, the Latin translation of original Greek texts is not given here, although it has been provided in several instances.

Christum pepererat, femina resurrexisse nuntiabat. Per feminam mors, per feminam vita.

(10) Cf. CONC. LATERANENSE anni 649, Can. 3: MANSI 10, 1151: Si quis sec. s. Patres non confitetur . . . Dei genitricem sanctam semperque virginem et *immaculatam* Mariam, utpote ipsum Deum Verbum *specialiter* et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum *absque semine concepisse* ex Spiritu Sancto, et *incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente* et post partum eiusdem *virginitate,* condemnatus sit.

S. LEO M., *Epist. ad Flav.:* PL 54, 759: (Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum matris Virginis,) quae illum ita salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.

S. AMBROSIUS, *De instit. virg.:* PL 16, 320: *Haec porta clausa erit, et non aperietur.* Bona porta Maria, quae clausa erat, et non aperiebatur. Transivit per eam Christus, sed non aperuit. . . . Est ergo et porta ventris, sed non clausa semper: verum una sola potuit manere clausa, per quam sine dispendio claustrorum genitalium virginis partus exivit. . . . *Porta haec clausa erit* . . . id est, ante et post transitum Domini erit clausa. . . .

(11) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) pp. 247-248: [Maria] consensit « loco totius humanae naturae », ut « quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam » haberetur. Ipsa fuit, quae Christum Dominum, iam in virgineo gremio suo Ecclesiae Capitis dignitate ornatum, mirando partu utpote caelestis omnis vitae fontem edidit; eumque recens natum, iis qui primum ex Iudaeorum ethnicorumque gentibus adoraturi advenerant, Prophetam, Regem, Sacerdotemque porrexit. Ac praeterea Unigena eius, eius maternis precibus « in Cana Galileae » concedens, mirabile signum patravit, quo « crediderunt in eum discipuli eius ». Ipsa fuit, quae vel propriae, vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eundem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris sui holocausto, nova veluti Eva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, Aeterno Patri obtulit; ita quidem, ut quae corpore erat nostri Capitis mater, spiritu facta esset, ob novum

etiam doloris gloriaeque titulum, eius membrorum omnium mater. Ipsa fuit, quae validissimis suis precibus impetravit, ut Divini Redemptoris Spiritus, iam in Cruce datus, recens ortae Ecclesiae prodigialibus muneribus Pentecostes die conferretur. Ipsa denique immensos dolores suos forti fidentique animo tolerando, magis quam Christifideles omnes, vera Regina martyrum, « adimplevit ea quae desunt passionum Christi . . . pro Corpore eius, quod est Ecclesia »; ac mysticum Christi Corpus, e scisso Corde Servatoris nostri natum, eadem materna cura impensaque caritate prosecuta est, qua in cunabulis puerulum Iesum lactentem refovit atque enutrivit.

(12) Cf. PIUS IX, Bulla *Ineffabilis,* 8 dec. 1854: Acta Pii IX, 1, I, p. 616; DENZ. 1641 (2803): . . . (declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam, quae tenet,) beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, (esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam).

(13) Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus,* 1 nov. 1950: AAS 42 (1950); DENZ. 2333 (3903): . . . Immaculatam Deiparam semper Virginem Mariam, expleto terrestris vitae cursu, fuisse corpore et anima ad caelestem gloriam assumptam.

(14) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad coeli Reginam,* 11 oct. 1954: AAS 46 (1954), pp. 633-636; DENZ. 3913 ss.: Ut iam supra attigimus, Venerabiles Fratres, cum ex documentis antiquitus a maioribus traditis, tum ex sacra Liturgia, praecipuum, quo regalis Mariae dignitas innititur, principium procul dubio est divina eius maternitas. . . .

Attamen Beatissima Virgo Maria non tantum ob divinam suam maternitatem Regina est dicenda, sed etiam quia ex Dei voluntate in aeternae salutis nostrae opere eximias habuit partes. . . .

Iamvero in hoc perficiendo redemptionis opere Beatissima Virgo Maria profecto fuit cum Christo intime consociata; . . . Etenim, « sicut Christus, eo quod nos redemit, speciali titulo Dominus est ac Rex noster, ita et Beata Virgo, propter singularem modum, quo ad nostram redemptionem concurrit, et sub-

stantiam suam ministrando, et illum pro nobis voluntarie offerendo, nostramque salutem singulariter desiderando, petendo, procurando » (F. SUAREZ, *De mysteriis vitae Christi,* disp. XXII, sect. II (ed. Vivès, XIX, 327). . . .

Praeterea Beata Virgo non solummodo supremum, post Christum, excellentiae ac perfectionis gradum obtinuit, verum etiam aliquam illius efficacitatis participationem, qua eius Filius ac Redemptor noster in mentes et in voluntates hominum regnare iure meritoque dicitur. . . .

(15) Cf. KLEUTGEN, textus reformatus *De mysterio Verbi incarnati,* cap. IV: Mansi 53, 290: Haec igitur Christum, Deum et Dominum nostrum, pariens, mater gratiae nobis exstitit . . . nec desinit potenti sua intercessione aeterna nobis salutis dona conciliare.

Cf. S. ANDREAS CRET., *In nat. Mariae,* sermo 4: PG 97, 865 A: Salve legis ac gratiae mediatrix *(mesitis).*

S. GERMANUS CONSTANTINOP., *In annunt. Deiparae:* PG 98, 321 BC: Omnium peccatorum mediatrix vere bona *(mesiteia). In dorm. Deiparae,* III: col. 361 D: Ego te mundi murum exaedificabo, eorum pontem qui fluctibus iactantur, eorum qui manu ducuntur baculum, peccatorum advocatam, scalam denique quae provehere in coelum mortales sufficiat.

S. IO. DAMASCENUS, *In dorm. B. V. Mariae,* Hom. 1, 8: PG 96, 712 BC—713 A: Te olim arca figuravit, in qua secundi mundi semen servatum fuit. Tu enim Christum mundi salutem peperisti, qui peccatum quidem submersit, eiusque fluctus sedavit. . . . Sic tu quoque mediatricis munus obiens *(mesiteusasa),* effectaque Dei ad nos descendentis scala, ut debilem nostram naturam assumeret, sibique copularet et uniret; . . . ea quae dirempta erant collegisti.

(16) Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: ASS 15 (1895-96) p. 303: Ipsam dominam nostram, ipsam reparatricem totius orbis, ipsam donorum Dei esse conciliatricem. . . .

S. PIUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: Acta, I, p. 154; DENZ. 1978 a (3370): Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, promeruit illa ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret, atque ideo universo-

rum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit. . . . Pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustae datum est, ut sit "totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix" (Pius IX, *Ineffabilis Deus*).

PIUS XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus,* 8 maii 1928: AAS 20 (1928) p. 178: Hisce denique votis inceptisque Nostris praesens arrideat Virgo Dei Parens benignissima, quae, cum Iesum nobis Redemptorem ediderit, aluerit, apud crucem hostiam obtulerit, per arcanam cum Christo coniunctionem eiusdemque gratiam omnino singularem, Reparatrix item exstitit pieque appellatur. Cuius Nos confisi apud Christum deprecatione, qui unus cum sit "Mediator Dei et hominum," suam sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam gratiaeque ministram ac mediatricem.

(17) S. AMBROSIUS, *Epist.* 63: PL 16, 1218: Iesus non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore servavit.

(18) S. AMBROSIUS, *Expos. Lc.* II, 7: PL 15, 1555: Bene desponsata [Maria], sed virgo: quia est Ecclesiae typus, quae est immaculata sed nupta. Concepit nos de Spiritu, paret nos virgo sine gemitu. Et ideo fortasse sancta Maria alii nupta, ab alio repleta. . . .

(19) Cf. Ps.-PETRUS DAM., *Serm.* 63: PL 144, 861 AB: Utraque nimirum mater, mater Maria, mater Ecclesia. Sed Maria mater Christi, Ecclesia mater populi christiani. De Maria Christus carnem suscepit; Ecclesiam vero de lateris sui carne produxit. Ex ista prodiit secundum carnem natus; illam protulit carne jam mortuus. Ex ista voluit nasci; pro illa dignatus est mori. Ex una semel natus est in persona sua; ex altera nascuntur quotidie membra sua. Traxit ex altera, quod pro altera moreretur, ut quo utraque communiter salvaretur. O vere beata virgo Maria ex cujus visceribus caro Christi desumpta est ex qua rursus per aquam et sanguinem profluxit Ecclesia. Hoc itaque modo ex Maria videtur prodiisse Ecclesia.

GODEFRIDUS A. S. VICTORE, *In nat. B. M.,* Ms. Paris, Mazarine, 1002, fol. 109 r: Iure igitur etiam tempore beata virgo

prima mater gratie et caput ecclesie appelatur. Quamvis enim ante ipsam multe sancte et electe anime ad quandoque futuram pertinuerint ecclesiam, nulla tamen ante ipsam presencialiter incipientem sic inchoavit vel fundavit, sicut ipsa que primum eius membrum et caput fuit.

Nec obstat quod docente sacra scriptura beatum fructum uteri eius dominum ihesum caput esse ecclesie didicimus. Aliter namque ista, aliter ille hoc dicitur: ista tempore, ille auctoritate; ista principio, ille principaliter; ista materialiter tamquam prima eius pars et materia, ille causaliter tanquam eius efficiens causa. Nec ob hoc aliquis ecclesiam quasi bicipitem aut biceps monstrum finxerit, quia nec ob hoc aliquis aut quadrupes aut quatuor habere pedes dicitur, quia alios pedes corporis, alios habet pedes mentis.

Exultet ergo et iocundetur hodie universa mater ecclesia, quia non solum unius matris virginis celebrat ortum temporalem, sed in una matre virgine suum recolit natalem. Quamvis enim una nascitur hodie virgo maria, in una tamen et cum una universa nascitur, ut dictum est, ecclesia.

Nec obest quod de latere ade dormientis formata legitur eva, in quo mistice intelligitur quia de latere christi in cruce morientis formata, et sic non ab hoc die, sed a dominice passionis tempore inchoata videtur ecclesia. Hoc inquam non obest. Hodie namque inchoata est nascendo que tunc inchoata est renascendo. Hodie per generationem que tunc per regenerationem. Hodie incepit esse que tunc incepit sancta esse. Sic certe uniuscuiusque fidelis dupplex est nativitas, una carnalis, alia spiritualis. Una in vitam, alia in sanctam vitam. Hodie itaque non dico renata, sed nata recte creditur ecclesia, quoniam prima ecclesie nascitur persona.

GERHOHUS REICH., *De gloria et honore Filii hominis,* 10: PL 194, 1105 AB: Fuit autem beata Virgo Maria illius antiquae Synagogae portio electissima, sic a Deo Patre amata, ut eam prae omnibus amore suo inflammaret, Verbo quoque suo fecundaret, quod in ea eructatum, et prius mente conceptum, de illa processit tamquam sponsus de thalamo suo (Ps 18:6), amaturus novam Ecclesiam, et in ea quamlibet fidelem personam, tamquam sponsam ornatam viro suo (Rev 21:2). Inter omnes vero

sponsas, prae omnibus fuit ac permanet ornata beata Virgo, tamquam consummatio Synagogae, utpote filia electissima patriarcharum, et post filium suum Ecclesiae sanctae nova inchoatio, utpote mater apostolorum, quorum uni dictum est (Jn 19:25): Ecce mater tua.

(20) S. AMBROSIUS, *l. c.* et *Expos. Lc.* X, 24-25: PL 15, 1810: Fac voluntatem Patris, ut Christi mater sis. . . . Qui parturit verbum, Christum parturit.

S. AUGUSTINUS, *In Io.* Tr. 13, 12: PL 35, 1499: Omnis Ecclesia virgo appellata est. . . . Quae est virginitas mentis? Integra fides, solida spes, sincera caritas. Cf. *Serm.* 191, 2, 3: PL 38, 1010: . . . Imitans Domini sui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen et mater est et virgo.

Cf. etiam Ven. BEDA, *In Lc. Expos.* I, cap. 2: PL 92, 330: Usque hodie, et usque ad consummationem saeculi, Dominus in Nazareth concipi, nasci in Bethleem non desinit, cum quilibet audientium, veri flore suscepto, domum se aeterni panis efficit. Quotidie in utero virginali, hoc est in animo credentium, per fidem concipitur, per baptisma gignitur. Quotidie Dei Genitrix Ecclesia suum comitata doctorem, de rota mundanae conversationis, quod Galilaea sonat, in civitatem Iuda, confessionis videlicet et laudis, ascendens, censum suae devotionis aeterno regi persolvit. Quae in exemplum beatae semper virginis Mariae, nupta simul et immaculata, concepit nos virgo de Spiritu, parit nos virgo sine gemitu, et quasi alii quidem desponsata, sed ab alio fecundata, per singulas sui partes quae unam catholicam faciunt, praeposito sibi Pontifici visibiliter iungitur, sed invisibili Spiritus Sancti virtute cumulatur. (Note in the last sentence the verbatim borrowings from Ambrose, cited in footnote 18.)

ISAAC DE STELLA, *Serm.* 51: PL 194, 1863 A: Unus enim totus ac solus Christus, caput et corpus; unus autem is unius Patris in coelis, et unius matris in terris; et multi filii et unus filius.

Sicut namque caput et membra unus filius et plures filii, sic Maria et Ecclesia una mater et plures; una virgo et plures. Utraque mater, utraque virgo; utraque de eodem Spiritu sine libidine concipit; utraque Deo Patri sine peccato prolem fundit. Illa absque peccato corpori caput peperit; ista in omnium remis-

sione peccatorum capiti corpus edidit. Utraque Christi mater, sed neutra sine altera totum parit.

(21) *Sub tuum praesidium* (Sum tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genetrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.)

(22) CONC. NICAENUM II, anno 787: MANSI 13, 378-379: DENZ. 302 (600-601): . . . definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis: tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, quam intemeratae Dominae nostrae sanctae Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, et omnium Sanctorum simul et almorum virorum.

Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, ad osculum et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quae secundum fidem est quaeque solam divinam naturam decet, impartiendam: ita ut istis, sicuti figurae pretiosae ac vivificae crucis, et sanctis evangeliis, et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit: et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.

CONC. TRIDENT., sess. 25: MANSI 33, 171-172: Mandat sancta synodus omnibus episcopis, & ceteris, docendi munus curamque sustinentibus, . . . fideles diligenter instruant, . . .

Imagines porro Christi, deiparae virginis, & aliorum sanctorum, in templis praesertim, habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis pem suam collocabant (Ps. 134:15); sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesen-

tant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud vero diligenter doceant episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum, quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quae a Christo sibi collata sunt; sed etiam, quia Dei per sanctos miracula & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam morelque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.

(23) Cf. PIUS XII, *Nuntius radioph.*, 24 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 679: Hisce normis sancte observatis, Mariologia veros atque permansuros faciet progressus, in Beatissimae Virginis muneribus ac dignitate penitius in dies perscrutandis. Ita etiam haec disciplina recta illa media via procedere poterit, qua et ab omni falsa et immodica veritatis superlatione caveat et ab illis se segreget, qui vano quodam agitantur timore, ne Beatissimae Virgini plus aequo concedant aut, ut non raro dictitant, Matre honorata et pie invocata, ipsi Divino Redemptori aliquid honoris et fiduciae detrahant. Litt. Encycl. *Ad coeli Reginam,* 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 637: In his tamen aliisve quaestionibus ad Beatam Virginem spectantibus, curent theologi ac divini verbi praecones ut quasdam e recto itinere aberrationes devitent, ne in duplicis generis errores inducantur; caveant nempe et sententias fundamento carentes ac veritatem quadam verborum superlatione excedentes; et nimiam mentis angustiam in singulari illa, omnino excelsa, immo fere divina Deiparae dignitate consideranda, quam quidem Doctor Angelicus eidem agnoscendam esse docet « ex bono infinito quod est Deus » (S. THOMAS, *Summa Theol.*, I, q. 25, a. 6, ad 4).

(24) Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Dei,* 12 nov. 1923: AAS 15 (1923) p. 581: Alterum unitatis reconciliandae vincu-

lum cum Orientalibus Slavis in eorum singulari studio erga magnam Dei Matrem Virginem ac pietate continetur, eos ab haereticis compluribus seiungens, nobisque efficiens propiores.

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) pp. 590-591: Ac praeterea eos etiam, qui ob vetus schisma a Nobis seiuncti sunt, et quos ceteroquin paterno adamamus animo, ad has effundendas concordes preces supplicationesque advocamus, quandoquidem probe novimus eosdem almam Iesu Christi Genetricem venerari quam maxime, eiusque intaminatum celebrare conceptum. Cernat eadem Beata Virgo Maria eos universos, qui se christianos esse gloriantur, caritatis saltem vinculis coniunctos, suppliciter oculos, animos, precesque ad ipsam convertere, lucem illam impetrantes, quae mentes superno lumine collustret, atque illam efflagitantes unitatem, qua tandem aliquando fiat unum ovile et unus Pastor (Cfr. Io. X, 16).